

duci et communi Venetiarum et subditis et districtualibus, eorundem remaneant salva integra et illibata et illesa jura mercandi libere et absque solutione alicujus pedagii, dacia vel gabelle, seu alterius impositionis cujuscunque, ac transeundi, standi et redeundi cum suis navigiis, mercimoniis, atque rebus, que habebant in ipsa civitate et territorio eo modo et forma, prout soliti et consueti erant antequam dominus dux et commune Veneciarum haberent dominium et possessionem et tenerent civitatem Tergesti. Et versa vice dicti dominus dux et commune Veneciarum teneantur et debeant solvere et prestare omnia illa, que soliti et consueti erant solvere et prestare communi Tergesti et singularibus personis, si eis solvere vel prestare aliquid consueverunt. Et insuper fuit actum inter dictas partes nominibus predictis, non obstantibus superscriptis, quod omnes domus, possessiones et bona mobilia singularum personarum subditarum dicti communis Veneciarum, quas habent in dicta civitate et territorio Tergesti et castrorum, locorum et districtus predictorum que tenebant et possidebant ante presentem guerram. Et eodem modo dictis Tergestinis et districtualibus dictorum locorum restituantur omnes domus, terre et possessiones, quas habebant ante presentem guerram in Veneciis, territoriis et districtibus communis Veneciarum, tales quales sunt; et restituantur in eo jure possessionis et domini in quibus erant ante presentem guerram. Hoc dato et specialiter convento inter dictas partes, quod syndici, procuratores, actores, ambaxiatores et nuncii speciales Ecclesie Aquilegensis nomine et vice dicte Ecclesie promiserunt per stipulationem solepnem prescriptis sindicis et procuratoribus dictorum domini ducis et communis Veneciarum, stipulantibus et recipientibus vice et nomine dictorum domini ducis et communis Veneciarum, se facturos et curaturos cum effectu, quod dictum commune Tergesti ratificabit et approbabit per publicum instrumentum superscriptum capitulum infra duos menses a presenti die numerationis, sub pena in presenti pace apposita. Que pena ipso facto communi Veneciarum applicetur et possit